JESUS!

***

JOANNIS BAPTISTAE RASARII

De Victoriâ CHRISTIANORUM ad *Echinadas*

ORATIO,

XIV. KAL. Nov. ſuperioris Seculi ad PRINCIPEM & SENATUM *Venetiis* in templô DIV. MARCI habita, & turbulentis hiſce temporibus denuò in *Germaniâ,* etiamnum proh! bellace, multorum rogatu publicae luci donata

à

JO. FRIDERICO HEKELIO.

Cuncta vincit, fata dextrè qvi ſiniſtra ſuſtinet.

CYGNEAE

AP. SAMUEL. EBELIUM,

A. CHR. M. DC. LXXVI.

JESUS!

***

JOANNIS BAPTISTAE RASARII

DE VICTORIA CHRISTIANORUM AD ECHINADAS

ORATIO

Habita Venetiis in templô DIVI MARCI, XIV. KAL. Novemb. Aô. CHR. M. D. LXXI.

QVod à DEO *Optumô Maxumô* qvotidiè precabamur, *Sereniſsime* PRINCEPS, *Illuſtriſsimi* LEGATI, & PATRES *Ampliſsimi*, ut, poſtqvam exarſit hoc exitioſum crudeleqve bellum, qvod *inmaniſsimus Turcarum Tyrannus* contra REMP. intulit, ille perjurii ac violati foederis poenas daret: id ſummô DEI beneficiô ſumus his diebus cum maxumô totius Chriſtiani nominis gaudiô cumulatiſſimè conſeqvuti. Qvod qvidem animos hominum eò majore laetitiâ conplevit; qvò minùs erat hôc tempore tale qvidqvam expectatum, Qvare ſi unqvam ullum fuit tempus, in qvo DEO *Opt. Max.*

gratiae fuerint agendae, hoc profectò eſſe exiſtumandum eſt, in qvo cùm multa divinitùs contigerunt, tùm vel maxumè, qvòd, hôc unô praeliô confectô, noſtra libertas, qvae in periculum vocari videbatur, eſt planè conſtituta. Qvòd XL. Veteranorum hoſtium millia caeſa captaqve dicuntur. Qvòd viginti millia Chriſtianorum, qvae annis ſuperioribus Barbari captiva fecerunt, ſunt in libertatem vindicata. Deniqve qvòd hoſtibus eſt data cupiditas de ſummâ rei navali pugnâ decernendi, *ut vos victoriam tantam adipiſceremini, qvantam nunqvam adhuc* CHRISTIANA RESP. *ab inportuniſsimô hoſte reportavit.* Cùm enim *Turcarum* ſaeviſſimus Tyrannus, qvi, cùm nulla ſocietas foedere ullô confirmari poteſt, novo regno inflatus, & tam amplae fortunae inſolens, à ſuis Purpuratis, dominandi cupidiſſimis, adſiduè inſtigaretur & irritaretur, ut ictum paucis ante diebus cum REP. foedus frangeret: Id ille, nullâ ratione aut divini, aut humani juris habitâ, ſine cunctatione facere non dubitavit. Qvamobrem PIUS V. *Pontifex Max.* vir ſanctiſſimus, &, vel hôc unô nomine, de REP. *Chriſtianâ* optumè meritꝰ, in hoc ſtudium ſedulò incubuit, ut PHILIPPUM, *Regem Catholicum* & potentiſſimum, ac pietatis Chriſtianae ſtudioſiſſimum cum REP. foedere jungeret; ac ſe ipſe, ſuasqve opes eôdem foedere devinciret, ut communi conſenſu junctisqve viribus incitatos teterrimi hoſtis inpetûs retardaretis, nefariosqve conatûs comprimeretis. Qvod non minùs patriâ caritate, qvàm autoritate,

 293

ritate, qvâ proxumè ad DEum adcedit, ipſum eſſe conſeqvutum perſpicimus. Itaq; cùm bellum tam grave, tamq́; periculoſum *Vobis* à potentiſſimo Tyranno inferri videretis, in qvo non de dignitate, aut aliqvâ provinciâ, ſed de vitâ & toto imperio: neqve ad victoriam uſqve, ſed ad caedem pugnandum erat; primò qvoqve tempore de Imperatoribus ad tam neceſſarium atroxq́ve bellum deligendis, & tantis rebus praeficiendis, erat adcuratiſſimè ſtatuendum. Nam & maxumas claſſes maxumis hoſtium claſſibus, & ſummis illorum peritiſſimisqve Ducibus maxumos *Veſtros* prudentiſsimosq́ve Duces obponi oportere perſpiciebatis. Sed non fuit difficile in tam illuſtribus & ad laudem natis hominibus tres reperire, qvi tanti belli molem ſuſtinerent. Unum enim ferè omnes deſignabant, atqve in illum unum intuebantur, qvi inter omneis eminebat. Is eſt JOANNES AUSTRIUS, *Caeſaris* CAROLI V. *Aug. Summi omnium Imperatoris* Filius, & PHILIPPI, *Catholici ac Maxumi Regis* Frater, Juvenis tantâ virtute, ut facilè adpareret, hunc caeteris omnibus eſſe anteferendum. Nam paulò ante in tumultu Baetico ſuam felicitatem, autoritatem, reiqve militaris ſcientiam omnibus mirificè probârat, cum ſuô qvaſi adventu innumerabilem *Maurorum* exercitum profligâſſet, ducemqve illorum ad deſperationem perduxiſſet: ut omnes motûs *immortali cum laude pacârit*, & illius regni populos PHILIPPI *Regis* dicto audientes facilè reddiderit. Is igitur juſtiſsimis de cauſis eſt *Hiſpanienſis*

claſsis Imperator declaratus, eâ auctoritate, ut, qvod communi conſiliô ab ipſis Imperatoribus decretum conſtitutumqve ſit, ipſe exeqvatur atqve conficiat, & ad ipſum Imperii ſumma reſpiciat. E *Romanis* verò Proceribus, qvos adpetentes gloriae, atqve avidos laudis ſemper fuiſſe cognovimus, PONTIFEX MAX. è *Columniâ Familiâ*, rebus omnibus praecellentiſsimâ, delegit M. ANTONIUM, *Principem optumum, & de* Chriſtiano *nomine optumè meritum,* qvem ſuae claſsi praefecit.

VOBIS autem, cùm in hâc luce hominum multi ſuppeterent duces praeſtantiſſimi, & ſingulari fortitudine eximiâqve prudentiâ, tamen cunctis ſuffragiis *SEBASTIANUM VENERIUM*, rerum maritimarum peritiſſimum, Virum fortiſſimum & bellô ac pace clariſſimum, *Imperatorem* veſtrae claſſis declarâſtis. Itaqve, cùm omnes foederati promptô in Chriſtianam Religionem animô maxumas aedificaviſſetis ornaviſſetisq; claſſes, neq; propter longinqvitatem, intervallaq; locorum unum in locum ſtatim convenire Veſtri *Imperatores* potuiſſent, effectum eſt, ut *Turcae & terrâ mariq;* Praepotentes, & omnes deſpicere, ac flocciſacere viderentur. Nam ut primùm claſſem inſtructam eduxerunt, qvod ſuis inceptis fortuna valdè faviſſet: Se qvoqve eamdem viam poſſe inſiſtere arbitrabantur. Ita, ſuperatô *Helleſpontô*, lecta ora *Myſiae, Ioniae & Cariae*, rectô itinere *Rhodum*, deinde in *Cretam* profecti ſunt, atq; ibi è navi-

navibus egreſſi, cùm non mediocre detrimentum accepiſſent, reliqvas Inſulas praedandas vaſtandasqve ſibi propoſuerant. Intereà verò Pontificiae Veſtraeqve claſſis *Imperatores* ut ſe cum *Regiâ* claſſe conjungerent, in *Siciliam* profecti erant, ac *Turcis* liber aditus ad Veſtras Inſulas veſtrosqve portûs patebat. Cumqve illorum claſſis trecentarum eſſet navium, in qvibus ducentae triginta triremes, ſexaginta biremes ac caeterae lintres ac celoces erant, toto mari praedabundi volitabant. Itaqve, *Cytherâ, Zacynthō Cephaleniâq;* Inſulis evaſtatis & *Corcyrae* ſuburbiis incenſis, in *Rizonicum* uſqve ſinum pervenerunt, ac nonnulla *Epiri Illyriciqve* caſtella, non ſatis munita, qvae metu ſibi conſulere neſciebant, in deditionem acceperunt. Sed cùm *Turcarum* Dux Veſtram nanciſci claſſem non potuiſſet, Noſtrosqve de pugnâ navali cogitantes, atqve id jam in animo habere conſtitutum audiviſſet, in Graeciam reverſus, in *Corinthiacum* ſinum invectus eſt, ut, militibus ex *Achajâ* & *Peloponneſo*, praeter numerum legionum, accitis, ad *Chriſtianam* claſſem paratiſsimus reverteretur. Qvocircà, collectâ ibi, qvam maxumam potuit, juventute, & Praetorianis omnibus, caeterisqve egregiis militibus evocatis, & in claſſem inpoſitis, & voluntariis etiam illuc ex multis locis confluentibus, de ſummâ rei ſibi decernendum eſſe conſtituerat. Intereà verò *Imperatores* Veſtri *Meſſanae* de

bel-

bello gerendo conſilia conferebant. Nam *AUSTRIUS, Princeps excellentiſsimus*, tantae ſpei plenus de pugnâ diſſerebat, ut ex ejus oratione, oculis, fronte, vultu deniqve certiſsima laetiſsimaqve victoria portenderetur. Nec minùs alacriter de re benè gerendâ loqvebatur M ANTONIUS COLUMNIUS, qvi uſqve ab initio hujus crudeliſsimi belli omni operâ, omniqve ſtudiô in hanc curam incubuit, ut *Chriſtianae* REIPUBL. injurias ulciſceretur. Omnia praeterea, qvae ad victoriam adipiſcendam pertinerent, adferebat SEBASTIANUS VENERIUS, ſenex prudentiſsimus, qvi, ut optumum civem decet, patriam in oculis gerebat, inminens *Ei* periculum cernebat, & *Eidem* opem ferre omninò cupiebat. Qvid dicam de AUGUSTINO BARBATICO, qvem Vos freti ſummâ Ejus Prudentiâ ſingulariq; animi magnitudine, Veſtrae claſsis Praefectum eſſe cum Imperatorio Imperio juſſeratis? Cùm enim nihil eſſet Eô propter eximia bona & animi, & corporis amabilius, tantoperè Patriam ipſe diligebat, ut res ſuas omnes contemneret, modò *REIPUBLICAE* dignitatem ſalutemqve *Patriae* tueretur. Is enim neq; cunctandum, neqve procraſtinandum eſſe multis rationibus diſſerebat. Advenerant etiam ex *Cretâ* duo claſsis *Legati* cum LX. triremibus, *MARCUS QVIRINUS & ANTONIUS CANALIS*, Duces inpigri, & qvos mirum in modum hoſtes formidabant, qvi cùm omnia hoſtium conſilia in itinere, exploraſſent, ita certè de victoriâ loqvebantur, ut eam propè

habe-

habere in manibuſq; judicarentur. Idem caeteri omnes claſſis *Legati*, idem omnes *Trierarchi*, idem *alii pleriq; illuſtres & praeſtantes Viri* confirmabant. Cùm igitur Veſtri *Imperatores* omninò decreviſſent, navali praeliô cum Turcis dimicare, hôc ſuſceptô propoſitôq; conſiliô, ut veros Chriſtianos decet, coeleſte auxilium eſſe inplorandum, & à Numine divinô opem petendam cenſuerunt. Itaq; ante profectionem in publico ſacrificio, qvod ſummâ Religione incredibiliqve ceremoniâ pro ſalute REIP. *Chriſtianae* fiebat, à DEO *Opt. Max.* pacem ac veniam petierunt: deindè ſuas noxias Sacerdotibus confeſſi ſunt: deniqve, erratis expiatis, *ſacrum* CHRISTI *corpus* ſumpſerunt, atq; id à toto exercitu unô eôdemq; tempore piè faciundum curaverunt. Hisqve rebus ritè peractis, tanqvam divinô praeeunte Lumine, ſimul juncti omnes atqve concordes *Corcyram* ſecundô ventô petierunt, tùm *Cephaleniam* praetervecti, ad *Oxias Echinadasq;* pervenerunt. Stabat tùm fortè in portu *Naupacti Turcarum* claſſis, & aliqvem de *Chriſtianâ* claſſe nuncium expectabat: ſiqvidem ejus Dux multos jam praemiſerat ſpeculatores, ut noſtros venienteis & inparatos adgrederetur. Cùm igitur ei de claſſis adventu eſſet adlatum, tantâ ſpe caſtra movit, ut non ſibi ad praelium, ſed ad praemium: non ad communem belli *Martem*, ſed ad exploratam victoriam veniendum eſſe arbitraretur. Jam enim opinione omnia ceperat, totamq; *Chriſtianam* claſſem aut depreſſerat, aut captivam in triumphô ducebat. Neqve pluris ille amens & vecors praeſtantiſſimos

Imperatores Veſtros militesq; fortiſſimos faciebat, qvàm ſi inaneis propugnatorũ naveis eſſet invaſurus. Ille *cunctationem* Noſtrorum *timorem:* Ille *conſilia temeritatem* nominabat. Movit igitur *Naupactô,* &,velis ventisq; ferentibus, ad nobilitandas ſuâ clade *Echinadas,* qvae pari ferè ſpatiô à *Naupacto* & *Patris* diſtant,ſe ludibundꝰ conferebat,ubi Noſtri conſtiterant,ut JOANNEM CARDONAM, *Siculae* claſſis Ductorem,omni laude cumulatum,qvem cum octo triremibꝰ ad exqvirenda *Turcarum* conſilia jam praemiſerant, expectarent, & certiore itinere ad claſſem illorum invadendam pergerent. Cùm ecce unô tempore & CARDONA redierat, & hoſtes in conſpectu fuêre,ut ad conponenda armamenta & expediendũ remigem ac militem ad inminens certamen, niſi ante parata fuiſſent omnia, vix ſatis eſſet temporis. Et tùm fortè ſub idem tempus vis venti omnis cecidit,ut hôc praeſidiô hoſtes nimiùm ſuperioribus rebus elati inflatiqve privarentur. *O divinam Providentiam! Qvis hoc non miretur? Qvis hôc divinò factum eſſe Numine non fateatur?* Qvod etiam eò clariùs atqve apertiùs intelligi poteſt, qvò minùs ventis ſecundis,& coelô ſudô ſex jam diebus uſa erat Noſtra claſſis, ut omnia illis *ſecunda,* Noſtris *adverſa* eſſe viderentur:ac tum,mutatâ rerum omnium ratione,Noſtris victoriae ſpes adfulſerit,qvi etiam,qvantum humanô provideri conſiliô poterat, ita parati ibant, ut non poſſent,niſi victores evadere. Qvod ut meliùs adpareat,claſſium ordinem paucis exponam. Provehebatur *Chriſtiana* claſſis ita inſtructa,ut dextrô in cornu JO. ANDREAS AURIA,magni nominis Dux, cum LIV. roſtratis navibus cuncta gubernaret. Siniſtrum,

qvod

qvod primùm hoſtibus objiciebatur, regebat cum LIII. roſtratis AUGUSTINUS BARBADICUS. Mediam aciem, in qvâ erat robur & flos Exercitûs, tres Praetoriae naves tutabantur. Medium locum tenebat Princeps AUSTRIUS, à dextris COLUMNIUS, à ſiniſtris VENERIUS curabat. Erant hae LXII. roſtratae rebus omnibus inſtructiſſimae. Erat in eodem comitatu LIGNIUS, vir ſummâ nobilitate & bellicâ virtute praeſtans, qvem cum ſuis triremibus ad *Chriſtianam Religionem* defendendam, & ut Vobis gratum faceret, miſerat ſummâ animi alacritate propenſâq; voluntate EMANUEL PHILIBERTUS, *Sabaudiae Dux illuſtriſsimus*. Aderant etiam *Eqvitum Melitenſium* triremes, qvibus ordinis Magiſter ſingulari pietate praeditus & õibus rebus ornatus cum imperio praeeſſe juſſerat PETRUM JUSTINIANUM, *Patricium* Veſtrum, & REIP. & Religionis tuendae paratiſſimũ, qvi in bellô ſuperiore, qvod SOLIMANUS cum iisdem Eqvitib9 geſſit, plurima & maxuma dederat eximiae Prudentiae mirificaeq; Fortitudinis documenta. AUSTRIUM comitabatur ALOYSI9 RECHEZENI9, prim9 ipſius Legatus, vir ſummâ autoritate, maxumô rerum uſu & animi magnitudine ſingulari. Cum iisdem erat FRANCISCUS DIODUS, majorum firmiorumq; triremium Veſtrarum Dux peritiſſimus & *Senator* egregiè in Patriam animatus. In ſubſidiis erant roſtratae duae de qvadraginta, qvarum ductor erat ALVARUS BACIANUS, qvi ob egregiam virtutem *Neapolitanae* claſsis erat *Praefectus*. Ante omnia erant, tamqvam munitiſſima caſtella firmiſſimaq; propugnacula, ſex triremes majores ita collocatae, ut duae dextrum, duae ſiniſtrum cornu, duae aciem hoſtium tormentis disjicerent,

ut Diodus, Dux intrepidus, hoſtilis claſſis inpetum Barbarorumqve furorem exciperet. Hoſtium verò claſsis eôdem ferè ordine inſtructa navigabat. Nam & media acies Noſtrae obviam ibat, & cornua cornibus obpoſita agebantur: niſi qvòd in dextro illorum cornu erant triremes LV. in ſiniſtro ferè XC. & totidem in media acie, ut ea eſſet, qvàm noſtra, multò numeroſior. Caeterae illorum naves agmen claudebant. Jam *Imperatores* ad pugnam ſuos milites hortabantur: cùm AUSTRIUS *Princeps* in lintriculum deſcendens, totam ilicò claſſem circumivit, tàm laetô vultu, tantâqve animi firmitudine cunctos excitans, ut viciſſe jam crederetur. Cùm igitur ſub ictu teli eſſent, & undiq; *Turcae* inſtarent, majores triremes, qvae tamqvam vallum ante aciem ſtabant, miſſis tormentis, hoſtium claſſem magno cum damno verberârunt, & horribilem ſtragem ediderunt. Sed illi, qvamvis disjectam multis locis claſſem perturbatosqve ordines vidiſſent: Tamen furore qvôdam majores noſtras praetervecti non deſeruerunt ſeſe. Itaq; mox praetoriae omnes ita conflixêre, ut non jam miſſilibus aut tormentis, ſed gladiis, propè collatô pede, praeliarentur. Nam & prorae inter ſe junctae haerebant, & naves ita in arctô erant ſtipatae, vix ut telum ullum in mare vanum intercideret. *Imperatoribus* tam atroci praeliô decertantibus, jam totis claſsibus ſimul ab omni parte pugna conſerta erat. At in ſiniſtrô cornu, cui BARBADICUS praeerat, variô eventu ſummisq; viribus certabatur. Eum animi magnitudo, Patriae caritas, odium in *Turcas* ſtimulabat. Sed oculus ſagittâ

gittâ ictus inpediebat, ne jam ſuô munere fungeretur. Qvô qvidem tempore, ut ſaepè aliàs, ANTONII CANALIS, *Legati*, eximia virtus admirabilisq; fortitudo enituit, qvi ſic manum conſerebat, ut & hoſtes trucidaret, & eorum triremes perforaret atq; ſubmergeret. Veſtri autem *Imperatores* & ſummorum Ducum, & ſtrenuorum militum Perſonas, & partes egregiè ſuſtinebant, ac nihil omninò intentatum relinqvebant, qvò citiùs victoriâ potirentur. Nam Austrius *Princeps*, Juvenis clariſsimus & manu promptiſsimus, hoſtium cruore magnam partem conſperſus viſebatur. Venerius, licet ſextum & ſeptuageſimum aetatis annum agat, tamen innatô animi robore, praeter caetera, cum ſcuto & gladio inruentes magnâ vi Turcas fortiſsimè repellebat; & mox acceptum vulnus, ſed tam diu diſsimulatum, qvàm diu hoſtes eſſent profligati, ita ultus eſt, ut praetoriam ſibi infeſtam ceperit atq; depreſſerit. Nec verò minùs acriter Columnius pugnabat, & omnia magni Ducis & inpigri militis munera obibat, & jam triremen, adverſariam malè multaverat. Hôc locô, qvanta eſſet utriusq; Exercitûs virtus, cognoſci potuit. Nam licet Turcae Praetoriam, in qvâ erat inſigne nocturnum trium luminum, captam viderent, caputq; *Imperatoris* ſui haſtae ſubfixum conſpicerent, non tamen aut locum, aut pugnam deſerebant; ſed, velut calamitates ſuas vindicaturi, obſtinatô animo pugnabant. Noſtri magnâ contentione pertinaciterq; inruebant, ac ſummis viribus illos petentes trucidabant. Nec deſtitêre, donec acies illorum fluctuare incepit. Qvo ſanè tempore non erat opus monitore, aut in-

pulſore. *Qvisq; ſibi erat Autor, & Dux ad victoriam*; praeſertim cùm nefarius ille aſtutusq; praedo CARACOSIUS jam interfectus eſſet, & SYROCHUS item pirata inſignis, vir acerrimus, qvem hoſtes propter virtutis opinionem maxumi faciebant, à JOANNE CONTARENO, *Trierarcho* fortiſsimo, cum ſuâ praetoriâ captus ſuum latus nudaviſſet, aditumq; noſtris praebuiſſet, ac praelium etiam iniviſſent triremes, qvae in ſubſidiis erant locatae, & fortiſsimè depugnaret ALVARUS BACIANUS, & *Hiſpani* eqvitesq; *Melitenſes, qvibus eſt qvoddam qvaſi naturale bellum cum* TURCIS, certatim inpreſsionem facerent. Sed videte, *Ampliſsimi Auditores, qvàm incerti ſint exitûs pugnarum, variaq; fortuna.* Cùm enim JUSTINIANUS cum ſuâ Praetoriâ in aliqvot hoſtium triremes impetum feciſſet, tantâ vi, tantâq; fortitudine in illas invectus eſt, ut duas ſtatim ceperit; ac res inibi eſſet, ut tertiam qvoq; captivam faceret, cùm ecce ſex hoſtiles transverſô latere ita in ipſum inruerunt, ut omneis ferè ejus milites, in qvibus erant qvinqvaginta *Eqvites*, interfecerint. Nec tamen ipſe Dux, qvamvis duabus jam confixus ſagittis eſſet, animum deſpondit; ſed, ſuis ad puppim conglobatis, egregiè impetum furoremq; *Turcarum* ſuſtinuit. Sed tamen parùm abfuit, *qvin is, qvi paulò ante victor in hoſticis inſultabat, eôdem ferè momentô in illorum poteſtatem veniret.* At, Noſtris opem ferentibus, & omni ex parte Turcas urgentibus, factum eſt, ut cùm illi multas triremes depreſſas, *Praetorias* captas, Imperatores ſuos caeſos vidiſſent, ſublatis turpiter dolonibus, de fuga cogitarent, ac multi ſe in mare abjicerent, & ſociorum navibus adnantes, incerti prae metu qvid aut peterent,

aut vitarent, foedè perirent. Nec profectò ſuperfuiſſet aut fugae, aut pugnae qvisqvam, niſi aliqvi parvis navigiis clam evaſiſſent. Unus autem ſolus, qvi *Juliam Caeſaream*, qvam nunc *Algeriam* vocant, pro *Rege* gubernat, qviq; ſiniſtrum latus regebat, qvaſi cladis nuncius, elapſus eſt. Numqvam *Sereniſſ. P.* aliàs tantis animis magnae concurrerunt claſſes, nec in majoris diſcrimen rei pugnârunt. Nam & de *Chriſtiani nominis* dignitate, & exiſtumatione *Pontificia*, & *Regia*, & de ſalute REIP. agebatur. *Turcae* adnitebantur, ut non modò maris poſſeſſione Vos pellerent, ſpemq; omnem Vobis adimerent, Veſtras Provincias, Inſulaſqve tutandi, & praeſidia uſqvam mittendi. Sed ut Vos, & deinceps, hâc illis qvaſi feneſtrâ patefactâ, *omne Chriſtianum nomen in ſervitutem redigerent, & , qvos vellent, qvâcunq; de cauſa conlibuiſſet, trucidarent.* Vos, ut, retentâ maris poſſeſſione, DEIq; cultu ſervatô, *Patriam, liberos, Conjuges, Populosq; Veſtros* à caede, ab incendio, à ſervitute vindicaretis, oſtenderetisqve, *Turcas* non *jure*, ſed *ſcelere*: non *virtute*, ſed *inſidiis*: non *laceſsitos*, ſed *ruptô ob inſitam Barbariem foedere*, qvidqvid feciſſent, *eſſe conatos*. Deniq; id, qvod ſemper fuit in more poſitum, inſtitutôqve Veſtrô, ut *Chriſtianam* Religionem cum *Pontifice Max.* & *Rege Catholico* tueremini. Haec enim praecipuè res PIUM V. *Pont. Max.* ut parentem optumum decet, & PHILIPPUM, *Regem* potentiſſimum & verae Pietatis obſervantiſſimum, inpulit, ut REMPUBLICAM, qvam decus *Italiae*, ornamentum totiꝰ *Europae*, domicilium Virtutum omnium, & incorruptae

ſedem

ſedem Libertatis eſſe nôrunt, defendendam & à Turcarum injuriis vindicandam judicarent, armaqve ſua Vobiſcum conjungere, adcommodatiſsimum honorificentiſſimumqve cenſerent. Itaqve eô die illâ in pugnâ non erat qvisqvam omnium, qvi non in ejus diei caſu *Chriſtianae Reipublicae* eventum conſiſtere exiſtumaret. Qvocircà omnes ſic ſtrenuam operam navârunt, ut innumerabilis ille *Turcarum* Exercitus totus fuſus & ad internecionem caeſꝰ ſit, totâ ferè claſſe in pugnâ amiſſâ. Nam & CLXI. triremes, & multae biremes, alteriusq; generis navigia in Chriſtianorum poteſtatem venerunt, & caeteras triremes aut incenſas, aut depreſſas eſſe accepimus, &, qvod ſummam adferre admirationem poteſt, ex qvadraginta triremibus, in qvibus eſſent nocturna luminum inſignia, vix una, aut altera evaſit: cùm interim nulla navis ex Veſtrâ claſſe capta duae ſolae fractae, aliqvot vulneratae memorentur. Qvod qvidem nullâ aliâ, niſi divinâ, ope factum videmus, *ut qvò majore ſpe, firmioreq; fiduciâ & deteſtabiliore ſcelere hoc Vobis bellum TURCAE moviſſent, eò graviore ſuppliciô, acriore dolore, & ſaeviore cruciatu Vobis poenas clarent*. Fuſis autem undiq; caeſisq; hoſtibus, videre erat, alios ſeqvi, alios fugere, alios occidi, alios capi, alios ſubmergi; tùm naves deprimi, tùm perforari, tùm incendi, tùm abduci. Poſtremò omnia, qvà conſpectus eſſet, conſtrata telis, armis, cadaveribus, & totum mare infectum ſangvine, ut jam rubrũ *Turcarum* caede, ſanie, cruoreq; factum videretur. *O praeſens ſummi Rectoris & Domini numen! O victoriam omnium vocibus, litteris,*

monu-

monumentis q́; praedicandam! O diem inter feſtos referendum, & qvotannis maxumâ laetitiâ celebrandum! Te autem, Aloysi *Princeps*, qvis non beatum, qvis non ex omni parte felicem putet, qvô REMP. gubernante, tàm mirifica, tamq́; praeclara victoria ſit conparata? Haec enim una res, praeter reliqvas tuas eximias ſingulareisqve virtutes, illuſtrabit tuum Principatum, & faciet, ut cum perpetuâ tui nominis gloriâ in ore omnium ſermoneq́; verſetur. Sed minimè mirum Reip. id accidit. Novit enim id eſſe tuae gentis propriũ, *prudentiâ, conſiliô, opibus, animi magnitudine juvare atq; ornare Patriam.* Id ſumma cum laude fecit jam Thomas Mocenigus, Pater Tuus omni dignitate ornatiſſimus, *Marcius* Procurator & *Venetae* claſſis Imperator, qvi, ut primùm *Adrianum* mare egreſſ9 eſt, hoſteis in metu eſſe, & à veſtrô Imperio abſtinere, omninò coëgit, & à *Strophadibus* ac *Maleâ* magnam vim praedonum, qvi *Ionium* infeſtum habebant, ſtatim expulit & exturbavit: ac tàm magnô animô filii interitum tulit clari Viri & egregii Trierarchi, ut *illam maxumè fortunatam mortem adpellaret, qvòd naturae debita pro Patriâ eſſet potiſsimùm reddita.* Idem aliqvot ante annos praeſtitit cum inmortali ſui nominis gloriâ Petrus Mocenigus, Proavi tui frater, Princeps optumus, qvi in bellô adverſus Mahometem *Turcarum* Tyrannum, *Cariam, Ioniam, Aeoliam, Lyciam, Ciliciamq;* victor pervaſit, trophaeaq́; ubiqve erexit: tùm *Ciliciam* à *Turcis* recuperatam Cassambejo Pyramettoq́; Regibus reſtituit: deniq; *Cyprium* regnum, qvod illius inſulae Principes, Jacobo Rege mortuô, ad *Siciliae* Regem dolô qvôdam deferre conjurârunt, ſuô adventu con-

ſervavit, & ſumptô de conjuratis ſuppliciô, CATHARINAE Reginae Viduae, qvae ex clariſſimâ gente *Corneliâ*, Patricia Veſtra erat, & puero infanti reddidit, ut hoc Patriae inprimis, tùm ſplendori generis *Corneliorum* tribuendum judicaret. Idem deniqve fecerunt alii Principes, claſſis Imperatores, Praefecti, Legati, Trierarchi, Senatores, *Marciiq;* procuratores, qvi perpetuô qvôdam curſu in REP. floruerunt. Qvin etiam ſperant omnes boni ac ſapientes Viri, multis partibus plura, qvàm nuper hoſtium fraude ſublata ſint, te auſpice & REMP. gubernante, propediem eſſe ad Imperium acceſſura. Qvare *Sereniſsime* PRINCEPS & PATRES *Ampliſsimi*, rectè atq; ordine facitis, qvòd ex animo de tàm fauſto feliciq; nuncio laetamini, & tantam rem perfectam eſſe gaudetis, & qvòd, cùm primùm hoc à Vobis eſt auditum, omnia templa patefacienda, ſupplicationesq; ad omnia pulvinaria decreviſtis, & in hanc aedem freqventes conveniſtis; & qvamprimùm DEO honores habendos, gratiasq; qvàm maxumas agendas ſtatuiſtis; qvòd nos ex furore inmanitateq; teterrimi hoſtis exemerit, qvòd maxumam omnium, qvae unqvam à *Chriſtianis* partae ſint, victoriam adepti ſitis, qvòd tot millia captivorum ſint *Chriſtianae* REIP. reſtituta, qvòd tot ex *Turcis Praetorianis*, tot rerum maritimarum periti homines, tot egregii Duces, tot fortes Trierarchi Navarchiq;, tot nefarii praedones, tot Gubernàtores ac Magiſtri naviū, proretaeq; trucidati ſint. Deniq; qvòd metu, & periculô *Italia* omnis, atq; adeò tota *Chriſtiana Reſpublica* liberata eſſe videatur. Qvamqvam autem audio, hanc victoriam morte fortiſſimorum Virorum conſtitiſſe, qvòd aliqvot horas pugnatum

eſt

eſt utrinqve acriter: tamen qvis non agnoſcat, DEum *Opt. Max.* hanc Vobis palmam dediſſe, ut ille inhumanus foedifragusq; Tyrannus, apud qvem nihil veri, nihil ſancti, nullusqve Dei metus eſt, ſecum animô expendat, qvem reſpectum ad *Senatum*, ad jusjurandum, & ad religionem non habuerit, & qvantos Spiritûs, qvantamq; arrogantiam ſibi ſumpſiſſet, qvi & invictiſſimam & feliciſſimam claſſem ſuam adpellare ſemper auderet; & ut omnes intelligant, qvàm *non ſit humanis opibus, proſperisq; initiis, ac fortunae muneribus confidendum.* Conferte nunc hanc tàm laetam tàmqve admirabilem victoriam cum decantatis illis *Athenienſium Romanorumq;* victoriis, ut, Duce MILTIADE *Perſas* ad *Marathonem* victos, aut, Duce THEMISTOCLE XERSIS vires ad *Salamina* fractas, qvi mare ponte junxerat, *Atho* montem perfoderat, & *Aſiam* univerſam in *Graeciam* ſe exfuſurum cogitârat: aut LUTATII CATULI ad *Aegates* inſulam ductu *Carthaginienſium* claſſem victam: aut illam ANTIOCHI, *Syriae Regis*, ANNIBALE *Imperatore*, ad *Myoneſsum* à *Romanis* ſuperatam. Profectò illas, à ſuis Scriptoribus mirabiliter dicendô auctas, hanc ex omni parte veram conperietis. *Illas copias ex inbellibus ferè inperitisq; hominibus, has ex fortiſſimis exercitatiſsimisq; conſtitiſse. Illas arte & dolô, has virtute & apertè ſuperaviſse* cognoſcetis. Sed ego animadverti, *Sereniſsime* PRINCEPS, *ita eſse nobis naturâ conparatum, vix ut unqvam ullam puram voluptatem percipiamus, qvod cùm aliis plerisq; in rebus, tùm vel maxumè in bello adcidit.*

Videmus enim in hâc pugnâ aliqvot claros Viros, ſtrenuos Duces, egregios Centuriones, forteisq; milites eſſe deſideratos, qvòd Mars ſtrenuum qvemq; ſibi decerpit, fortiſſimũq; pigneratur. Augustinum enim Barbadicum, ſummâ nobilitate hominem, egregiâ animi magnitudine & ſingulari in Patriam charitate, ſublatum eſſe, cum incredibili omnium dolore accepimus. Qvi cum omneis honorum gradûs, qvos per aetatem ei licuit, in urbe adeptus eſſet, in illisq; gerendis ſummam & laudem, & gloriam eſſet conſecutus, Forumqve *Julium* prudenter ſanctèq; gubernâſſet, & magnâ conſtantiâ mirabiliq; eloqventiâ fineis Imperii, cûm de iis regundis eſſet controverſia, tutatus eſſet, & perhonorificas legationes obiviſſet, & incredibili ſapientiâ & integritate Praefecturam *Patavinam* geſſiſſet, nihilq; aliud ei ad laudem inmortalem deeſſet, niſi ut, decurſô aliqvot annorum ſpatiô, memoriam Principatûs Optumorum Principum, Marci & Augustini, gentilium ſuorum, ipſe revocaret: *Ecce mors eum ſuſtulit!* Qvamqvam nullô umqvam tempore *nec glorioſius, nec meliore de cauſâ hanc lucis uſuram relinqvere potuiſset, qvàm patriae dignitatem tuendô,* & tàm *honorificè ſangvinem exfundendô.* Hujus fati comites gloriaeq; participes fuerunt aliqvot egregii nobiliſſimiq; Trierarchi, ut Benedictus Superantius, Catarinus Maripetrus, Vincentius Qvirinus, Hieronymus Contarenus, Marinus Contarenus, in qvibus qvanta jactura facta ſit, vix verbis explicari poſſet. Qvid dicam de his praeſtantiſſimis viris, qvi ipſi qvoqve mortem contemnendô inmortales ſunt facti: Joanne Lauretano, Andrea Barbadico, Francisco Bono, M. Antonio Lando,

An-

ANTONIO PASCALIGO? Hujus qvoq; laudis avidi fuerunt gloriaeq; cupidi JO. BAPTISTA BENEDICTUS, *Cyprius*, JACOBUS METIUS, *Cherſoneſius*, ANTONIUS EUDAEMONICUS, *Cydon*, JACOBUS TRISSINUS, *Vicentinus*: HIERONYMUS BYSANTIUS, *Aſcruienſis*: & ANDREAS CALERGUS, *Rithymnaeus*, qvorum omnium numqvam eſſe intermorituram memoriam exiſtumare debetis. Nam dum *Chriſtianum Venetumq́;* nomē extabit, qvod ſempiternum fore polliceri poſſumus, dum litterae manebunt, dum ullus virtuti locus uſpiam relinqvetur: numqvam de illis gratiſſimus hominum ſermo conticeſcet. Nam *vitam eorum, qvi Patriam defendendô, Chriſtianamq́; Religionem vindicandô obierunt, non modò alit poſteritas, ſed etiam*, ut à ſapientiſſimis Viris accepimus, *ipſa aeternitas ſemper intuetur.* Vigent etiam hodiè in ore atq; animis omnium HARMODIUS & ARISTOGITON, vigent HORATII, vigent DECII, vigent alii pleriq;, qvòd *de vitâ exire pro Patriâ glorioſum judicârint.* Iſtos autem numqvam ſatis laudatos milites Veſtros, qvi ſuô ſangvine tantam *Chriſtiano* nomini gloriam, tantamqve victoriam pepererunt, & jam à DEO praemium virtutum ſuarum eſſe conſeqvutos confidimus, & à Vobis, & ab univerſâ *Chriſtianâ* REP. eis debitos honores hodiè perſolvi videmꝰ. Qvod etiam ſpecioſius his contingit, qvàm *Romanis*, aut *Athenienſibus*; propterea qvòd *illi* ſuis legibus coacti, eos, qvi pro Patria pugnandô mortui eſſent, ornabant laudibus; *Vos*, qvidqvid facitis, id ultrò & ſpontè illorum virtuti tribuitis, & gratiſſimorum civium munere fungimini. Ac meritò qvidem. Digni enim ſunt hi optumi Viri, qvibus alii etiam ſingulares à *Senatu* honores exqvirantur. Qvos ego in praeſen-

ſentiâ ex altiſſimâ coeli ſpeculâ videre jam videor, gratos animos Veſtros intueri, proindeqve laetari, qvòd intelligant, ex verborum exornatione perennem laudem ad eos, qvi praeclaras res geſſerunt, ſolere apud *Auditores* pervenire. Ipſi enim indicârunt, ſe hujus gloriae, qvàm vitae, ſtudioſiores extitiſſe, cùm hoſtilis poenae, qvàm hujus lucis, cupidiores pro Patriâ occiderunt. Cumq; nôſſent, *hanc vitam peregrinationem eſſe*, corpus, qvod eſſe caducum, ſciebant, publicè inpenderunt, ut privatim laudem, qvae nulla mortis fata pertimeſcit, conpararent. Qvocirca *Parentes* uti debent hoc ſolatiô, qvòd cùm ſcirent, *ſe natos genuiſſe, non inmortaleis, ſed qvos bonos atq; illuſtreis fore optabant*, nunc utrumq; ſint omninò conſeqvuti, cùm tanta Reip. Praeſidia genuerint. *Liberi*, qvòd eis domeſtica virtutis exempla ſubpeditabunt. *Conjuges*, qvòd iis privatae ſint viris, qvos laudent potiùs, qvàm lugeant. Omnes deniqve, qvod intelligunt, eos, qvi mortem obpetiverunt, pro mortali conditione vitae inmortalitatem eſſe conſeqvutos, cùm hoc maxumè credendum ſit, Patriae *Chriſtianaeq; Pietatis* propugnatores hinc migrantes ad ſedem coeleſtium mentium, ex qvibus animos delibatos habemus, evolâſſe, ubi aevô ſempiternô perpetuâq; felicitate perfruantur. Invitus praetereo nomina aliorum praeſtantium Virorum, qvi in acie caeſi ſunt, ut ſi qvid ego poſſem, ea ab interitu vindicarem. Sed cùm *Imperatores* Veſtri nondum ſingillatim rem, ut geſta eſt, perſcripſerint, Vosqve mihi mandaveritis, ut hanc orationem ferè ex tempore habeam: cogor nunc ea ſilentiô tranſire. Vos autem *Sereniſsime* Princeps, *Illuſtriſs.* Legati & Patres

Am-

Ampliſſimi, qvi huc freqventes conveniſtis, ut fortiſſimorum civium & *Chriſtianae* Religionis amantiſſimorum hominum funus Veſtrô conſpectu cohoneſtetis, vehementer commendo, & gratam iſtam accepti eximii beneficii memoriam Veſtram ſempiternis eſſe decorandam laudibus exiſtumo. Caeterùm *Nobiliſſimi* VIRI, & *Ornatiſſimi* ADOLESCENTES, cum animo jam cernatis, fortiſſimis Viris, qvi pro Patriâ occubuerunt, certum eſſe in coelô ac definitum locum, ubi aetatem cum mentibus beatiſſimis apud DEum agant, qvô nihil excogitari poteſt beatius; ſummosq; honores ab *Optumô* & *Sapientiſſimô Principe*, & ab *Ampliſſimô Ordine* haberi, ut nihil eſſe qveat magnificentius. Conſulite poſteritati & memoriae nominis veſtri, eosqve vobis ad imitandum proponite, & hanc ad gloriam citatô curſu contendite, & exiſtimate: *nihil eſſe laudabilius, nihilq; praeſtantius, qvàm de* Patriâ *benè mereri, qvàm Ejus dignitatem ſalutemq; rebus omnibus anteponere; neq; qvidqvam turpius, qvàm gloriam à Majoribus acceptam ad poſteros non transfundere; neq; Viro nobili poſſe magis ignominioſum qvid accidere, qvàm in otiô obtorpeſcere, & occaſiones, qvae* REIP. *dignitatem adtingunt, ſubterfugere.* Nam ſi locus exercendae virtutis Veſtrae domi non daretur, eſſet is vobis omni ſtudiô omniq; curâ perveſtigandus; nunc verò cum domi veſtrae tàm praeclara, tamqve neceſſaria cauſa vobis ſit oblata, adripite atqve urgete occaſionem, atqve, *cùm brevis hominibus vita data ſit: memoria verò benè redditae vitae ſempiterna*, hoc in animo conſtitutũ habete, ita vobis eſſe vivendum, ut *etiam vos eſſe morituros* ſciatis; *ſed ita* deniq; *moriendũ, ut memoria nominis veſtri ſit ad omnem aeternitatem temporis duratura.* Qvare pergite Patriam defendere, alacri animô in aciem prodite, pro Patriâ opes contemnite, commoda veſtra omittite, vitam deniq; ipſam fortiter, ſtrenueq; pugnandô profundite. Id à vobis Patriae Nobilitas, optuma Educatio, ſingularis in DEUM Pietas, & SacroſanctaReligio unô eôdemq; tempore poſtulat, inplorat, expoſcit. Vos autem *Illuſtriſſ.* LEGATI pro meâ in CHRISTUM DEI Filium ſummâ Pietate & mirificâ in Vos obſervantiâ mirum in modum rogo atq; obſecro, ut qvando non jacta victoriae fundamenta, ſed ipſam in manibus jam eſſe cernitis, *Caeſarem, Reges, Principesq;* Veſtros incitetis, atq; hortemini, ut urgeant hanc pulcerrimam occaſionem, qvâ nulla unqvã poterit reperiri praeſtantior, ſuasq;

vires

vires atq; opes cũ *Pontificiis, Regiis, Venetisq;* conjungant, ut communi conſenſu atq; conſiliô *Turcae* tandem debellentur, & ipſorum nomen ſempiternâ oblivione obruatur. Cùm enim videatis *Turcarum* vireis non eſſe invictas, immò verò illorum multitudinem & divitias virtuti concordiaeqve *Christianorum* longè ceſſiſſe, danda opera eſt, ut qvod priſcis temporibus uſu venit, ut virtute *Atheniensium* in pugna *Marathonia* excitati reliqvi GRAECI *omnia pericula ſubire pro libertate Graeciae non dubitârint*: idem nunc ab omnib9 *Christianis* pro ſuâ ſalute ac dignitate ſit omninò faciendum. Et qvod *Graeci* poſt illam memorabilem pugnam oſtenderunt, *Perſas* terreſtri pugnâ victos, navali qvoqve praeliô poſſe ſuperari: id à *Christianis* conandum ſit, ut qvando navali certamine tantam eſtis conſeqvuti victoriam, qvantam vix auſi eſſetis optare, illos terreſtri qvoqve praeliô vinci poſſe demonſtretis. Qvod planè ſperandum eſt, ſi communi concordiâ, junctiſq; animis cuncta gerentur, & *Barbari* hoſtis vires ita diſtrahentur, ut ille magnis exercitibus terrâ mariq; laceſſitus & disjunctis diverſiſqve in locis petitus tam ancipiti contentione & tantâ mole belli, tantâqve confuſione obruatur, ut rebus ſuis conſulere non poſſit. Qvod qvidem totum in Veſtrâ, *Optumi* LEGATI, & Prudentiâ, & Diligentiâ videtur eſſe conſtitutum. Interim verò, *Sereniſſ.* P. & P. A. qvamqvam id Vos omninò perſpectum exploratumq; habetis, eſtiſq; in hàc unâ cogitatione defixi: tamen pro meâ in Vos Pietate illud MAHARBALIS de ANNIBALE *Vobis* memorabo: *Non ſatis eſſe vincere, niſi victoriâ qvoq; uti ſciatis.* Et dum *Turcae* perculſi ſunt, & res illorum accisae, & qvàm plurimi è Praetorianis aliiſq; egregiis militibus & rerum maritimarum peritis deſiderati ſunt, anteqvam ſe colligant vireiſq; reficiant, bellum ex ſententiâ conficiatis, & ad optatum exitum perducatis, qvod ut primô qvoq; tempore *Vobis* cumulatè contingat, Te, DEus *Opt. Maxume*, cujus nutu cuncta gubernantur, Teq;, *Dive* MARCE, qvi in tuâ tutelâ hanc optumam REMPUBLICAM eſſe perpetuò declarâſti, qviq; eam ſemper ab hoſtium impetu furoreq; ſervâſti, omnes piè & ex animô vehentiſſimè precamur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE